



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 10. Satisfit fundamentis contrariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

non multiplicatur. Et eodem modo loquitur Divus Thomas de dignitate, nam absolute dicenda est vna. Tres autem perfectiones sunt veluti secundum quid, si precise sumantur, & ideo recte, convenienterque additur, quod sint relatiuæ. Fundamenta contrariæ sententiæ postulant nonnullas difficultates, quas in sequenti cap. expediemus.

CAPVT X.

Satisfit fundamentis aliarum opinionum.

1. **E**X tribus primis opinionibus, quas præcedenti cap. retulimus, secunda, & tertia partim nituntur fundamentis primæ, partim addunt aliquid proprium, & speciale, & quoad hanc posteriorem partem illis satisfactum est, vel ipsa sunt sententias referendo, vel nostram probando, & nonnullis objectionibus occurrendo. Quare solum superest, vt fundamentis primæ sententiæ satisficiamus.

2. **P**rimum ergo fundamentum nitetur illo principio, quod relatio realis, secundum suam propriam rationem, seu secundum esse ad non dicit perfectionem, nec bonitatem aliquam transcendentalem. Ad quod dicimus primo, hoc principium falsum esse, loquendo de relationibus realsibus intrinsece existentibus in subiectis, seu suppositis, quæ ad alios terminos referuntur. Nam tales relationes, vel subsistunt, vel intrinsece insunt, vel afficiunt subiectum, in quo sunt. Vnde falsum est, in relationibus creatis, quæ huiusmodi sunt, ipsum esse ad non includere esse in, quod veluti transcendens est ad omnia accidentia realia, nec potest præcindi ab illa differencia, vel modo prædicamæti realis. Vnde etiam falsum est, relationem realem, & rationis convenire in vero, ac proprio esse ad, sed solum nomen illis esse commune, cum quadam analogia proportionalitatis, & satis metaphorica, vt latius in Metaphysica explicatum est. Dicimus secundò, quod, licet relationes creatæ non dicerent realem perfectionem, id non esset attribuendum relationibus diuinis, propter summam excellentiam earum, magnamque analogiam. Et præferim, quia sunt subsistentes, & suo modo terminant, & quasi modificant diuinam naturam, vt more nostro loquamur, & quia per se pertinent ad reales, ac diuinas processiones, vel ex parte principij, vel ex parte termini talium processionum: in quibus omnibus, & in multis alijs superant relationes creatas, vnde licet creatæ relationes perfectionem non dicerent, diuinæ non essent illis æquiparandæ.

3. **S**ecundum fundamentum commune est omnibus alijs opinionibus, sumiturque ab illo inconuenienti, quia sequi videtur, aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non est in alia. Ad quod respondet aliqui vtendo distinctione, nam diuinæ personæ, vel considerantur, vt distinctæ sunt, vel vt sunt vnum. Priori modo non dubitant concedere aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non est in alia. Posteriori autem modo negant: quia ratione essentia (inquiunt) habet vna persona omnem perfectionem alterius. Vnde inferunt, propositionem illam, *Aliqua perfectio est in vna persona, quæ non est in alia*, simpliciter esse negandam, quia cum sit negatiua, simpliciter negare videtur omnem modum habendi singulas personas, quas cunctas perfectiones aliarum. Hæc verò responsio, licet veram doctrinam contineat, tamen & vitur distinctione non necessaria, quia manifestum est, hic esse sermonem de personis, vt distinctæ sunt, & non explicat modum, quo vna persona ratione essentia habet totam perfectionem alterius.

4. **D**ico ergo duplicem esse perfectionem. Vna est, quæ vocatur à Theologis simpliciter simplex, quam

definiuit Anselmus in Monologio, cap. 5. esse illam, *quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa*. Alia verò est perfectio non simpliciter simplex, & in hoc secundo ordine collocandam censeo perfectionem relationem, quatenus talis est. Quod in reseruit etiam Gabriel supra, quamuis in modo loquendi differat, vocat enim perfectionem relationis diuinæ perfectionem simpliciter. Ac subinde, vt inconuenientia euitet, distinguit duplicem perfectionem simpliciter. Vna est supra definita, quæ formaliter requiritur in omni ente infinito simpliciter. Altera verò, inquit, est, quæ in suo genere est summa, & nullam includit imperfectionem, quamuis non sit formaliter necessaria in ente simpliciter, & summe perfectio, & huiusmodi esse dicit perfectionem relationis. Tamen, quia vocibus vtendum est iuxta communem vsum, ideo priorem solum voco perfectionem simpliciter, & relatiuam perfectionem sub alio membro constituo. Duplici enim ex capite prouenit, quod aliqua perfectio non sit simpliciter simplex eo modo, quo ab Anselmo definita est, & ab Scholasticis communiter recipitur. Primò propter imperfectionem, vel limitationem, quam habet adiunctam, & hoc non potest conuenire perfectioni existenti in Deo. Secundo ex oppositione, quam habet cum alia æquali perfectione. Nam hinc fit, vt ambæ relationes inter se oppositæ non possint simul conuenire eidem personæ, & consequenter etiam fit, vt neutra sit melior in omni ente, seu persona, quam opposita. Atque ita neutri conuenit definitio perfectionis simpliciter supra data. Quod inueniri non potest in perfectione absoluta, quia non includit oppositionem.

Sed dicunt aliqui, quamuis Paternitas, & Filiatio opponantur respectu personæ, non tamen respectu diuinitatis, quia simul possunt identificari cum illa, simulque possunt illam modificare, vt nostro modo loquamur. Et ita respectu diuinitatis quælibet earum melior est, quam non ipsa. Ethoc satis (inquiunt) est, vt quælibet earum sit perfectio simpliciter, quia comparari debent ad Deum vt sic, non ad personam.

In hac verò objectione in primis, quod vltimo loco asseritur, & falsum est, & sine probatione dictum. Quod probo ex data definitione, quia non respectu vnius, vel alterius entis, sed respectu cuiuslibet, quatenus est indiuiduum, & singulare ens, debet perfectio simpliciter esse melior: ergo non tantum respectu essentia, sed etiam respectu personæ. Accedit, quod secundum illam comparisonem, nec relationes considerantur vt oppositæ, nec comparantur ad rem omnino incommunicabilem, sed ad naturam, vt communem: respectu autem rei communis perfectiones nõ simpliciter possunt non habere inter se repugnantiam. Adde denique perfectionem relationis in rigore, & proprio loquendo etiam respectu diuinitatis, non esse meliorem, quia diuinitas ipsa affecta, vt sic dicam, relatione, non est melior se ipsa præcise spectata sine relatione, quia ipsa per se, & absque relatione est ens simpliciter infinitum in genere entis. Vnde neque secundum rem, neque secundum rationem potest illi aliquid addi, quod tale ens faciat esse melius. Quod confirmatur ex illo Christi verbo. *Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est*, dedit enim Pater Filio suam deitatem, & non suam paternitatem, & nihilominus ei dedit id, quo melius nihil excogitari potest, quod in sequenti libro agentes de sublimitate absoluta latius confirmabimus.

Hinc vltimus considerandum est, dupliciter aliquam perfectionem esse in Deo, scilicet, formaliter, & eminenter. Priori modo est in Deo omnis perfectio simpliciter. Posteriori omnis alia, vt suppono ex 1. p. q. 4. Diuinitas ergo, seu hic Deus, præcisis relationibus, non includit formaliter perfectiones earum.

Cap. X. Satisfit fundamentis contrarijs.

Relatio
dubij.

earum, includit tamen eminenter, tum quia hoc necessarium est ad infinitatem simpliciter illius entis, tum etiam quia est radix, & fundamentum omnium illarum perfectionum. Ex quo fit, vt in qualibet persona sit etiam eminenter omnis perfectio relatiua, quamuis formaliter nulla persona habeat nisi illam tantum perfectionem relatiuam, quam eius relatio conferre potest. Hinc ergo ad argumentum in forma responderi facile potest. Cum enim inferatur, ergo aliqua perfectio est in vna persona, quæ non est in alia, distinguendum in primis est de perfectione. Aut enim est sermo de perfectione simpliciter simplici, & sic absolute negatur sequela, quia relatio non affert ex se talem perfectionem. Si vero sermo est de perfectione communiori modo sumpta, subdistinguenda est illa negatio, nam si fit sensus, ergo aliqua perfectio est in vna persona, quæ nullo modo est in alia, negatur item sequela, si autem sensus sit, aliquam perfectionem relatiuam esse formaliter in vna persona, quæ non est formaliter in alia, licet sit eminenter ratione essentiali, sic conceditur illatio. Cum autem ulterius inferatur, ergo persona non est simpliciter perfecta, vel non est æquæ perfecta, ac duæ, vel tres, nego sequelam, quia vt res sit simpliciter perfecta, satis est, quod formaliter contineat omnem perfectionem simpliciter, & eminenter omnem aliam. Sicut enim deitas ipsa ex solo conceptu essentiali, est simpliciter perfectissimum ens, neque sit perfectius per adiunctam relationem. Quia formalis perfectio non simpliciter, addita vltra contentiam eminentialem, non reddit perfectius, sicut humanitas adiuncta Verbo non reddit illud perfectius. Quia tota perfectio humanitatis in Verbo ipso eminenter continetur.

Relatio di-
uina an ex
se habeat in-
finitatem.

9.

Circa tertiam rationem aliqui negant, personam diuinam ex vi suæ relationis habere aliquam infinitatem. Sed hoc existimo falsum, vt inferius dicam. Dico ergo ex vi relationis habere personam infinitatem, non simpliciter in genere entis; hanc enim habent relationes ab essentia, sed in tali genere, seu quasi specie. Et ideo non sequitur, vnam relationem formaliter includere perfectionem alterius. Quod suo modo in attributis diuinis considerare licet. Nam intellectus diuinus præcisè conceptus perfectionem dicit, & infinitam in ratione intellectus, in qua non includit formaliter perfectionem voluntatis, maximè secundum Scotum, qui hæc attributa formaliter distinguit: & quamuis in re ipsa includat illam rationem infinitatis simpliciter, & in genere entis, non tamen ex vi propriæ, ac formalis infinitatis.

10.

Circa quartam rationem Clitouiens in Damascenorum libro 1. capit. 11. videtur concedere, Paternitatem (verbi gratia) secundum propriam perfectionem relatiuam dicere maiorem perfectionem; quam formaliter dicat Filiatio: Et hoc modo intelligit Damascenum ibi, & alios Patres Græcos dicentes, Patrem esse maiorem Filio, non natura, sed dignitate personali. Quod non putat esse contra æqualitatem simpliciter, quia Filius ratione essentiali habet totam illam perfectionem, vt explicatum est. Hæc verò sententia mihi non probatur, quia non nihil derogat æqualitati diuinarum personarum, & quia, vt supra dicebam, in illo excellentissimo modo communicationis, qui est in Trinitate, non est melius, nec beatus dare, quam accipere: Ac denique, quia iuxta illam sententiam vix potest intelligi, cur Paternitas non sit perfectio simpliciter, cum sit melior ipsa, quam quælibet ei incompossibilis.

Aliiter ergo responderi potest, relationes illas æqualitatem habere ratione essentiali, quam includunt, secundum proprias autem rationes neque æquales esse, neque inæquales, sed esse diuersas, quia Suarez; De Deo trinuno.

suo modo sunt diuersarum rationum, & ea, quæ comparantur in ratione æqualis, vel inæqualis, oportet, vt habeant quantitatem eiusdem rationis. Neque illa duo immediate opponuntur respectu omnium, quæ distincta sunt, nam linea, & superficies, neque æquales dici possunt, neque inæquales. Vnde etiam falsum est, diuersitatem in quantitate semper facere inæquale: nam si sit diuersitas in ipsa ratione formali, potius facit quasi dissimile, vel diuersum absolute.

Quia verò hæc relationes conueniunt in communi ratione relationis, & sub illa aliquo modo comparari possunt; ideo addo tertio, illas relationes in suis proprijs perfectionibus esse æquales, quia tam perfectum terminum, & fundamentum (prout ibi esse potest) habet vna earum, sicut alia. Vnde quid sit de speciebus creatis, quæ sunt entia per participationem, in illis relationibus non est necesse, vt formalis diuersitas relatiua secum afferat inæqualitatem aliquam, nulla enim ratio huius necessitatis reddi potest, cum illæ relationes non distinguantur secundum maiorem, vel minorem participationem alicuius esse, sed tantum secundum oppositionem in qua, vt ostendi, habent æqualitatem. Atque hoc fatetur tenentur etiam illi, qui negant illas relationes dicere perfectionem, quia consequenter negant esse inæquales, cum tamen non negent differre quasi specie, fiat ergo diuersitas specifica sine inæqualitate, ergo eadem ratione existere poterit cum æqualitate, supposita perfectione. Denique ad eandem difficultatem respondere tenentur, qui dicunt relationes omnes integrare vnam perfectionem, quia necesse est, fateantur singulas illarum aliquid conferre ad illam perfectionem: interrogabimus ergo, an aliqua illarum plus conferat, quod non affirmabunt, quia iam facerent illas aliquo modo inæquales, ergo æqualiter conferunt, etiam si diuersæ rationis sint: hæc ergo æqualitas non repugnat cum illa diuersitate.

CAPVT XI.

Verum attributa diuina posita multiplicentur in diuinis personis, aut de eis possint aliquo modo pluraliter predicari.

Attributum
in Deo quid
sit.

Attributum Dei vt notauit Durandus in 1. dist. 2. quaestione 3. numer. 6. & 7. in quadam lata significatione dici potest, quidquid de Deo prædicatur per modum alicuius proprietatis, seu denominationis, siue absolute sit, siue respectiuum prædicatum, & siue sit transcendens, siue magis particulare, quo modo esse spiratorem, esse attributum Patris, & Filij, & esse vnum aut verum erunt etiam attributa Dei. Proprius verò, & specialius, ac frequentiori vsu attributum dicitur proprietatis aliqua absolute, quæ per modum formæ efficientis Deum de ipso prædicatur. Atque ita excluduntur omnia prædicata relatiua ad intra, & consequenter omnia personalia; quia illa omnia relationem inuoluunt, absolutaque non sunt. Excluduntur item prædicata transcendentalia; de quibus hætenus diximus, quia non sunt proprie absoluta, sed ab absoluto, & respectiuo abstrahunt. Non excluditur autem scientia, intellectus, aut voluntas: hæc enim absoluta prædicata sunt, & non dicuntur relationem, nisi secundum dici.

Aliqui addunt oportere, vt attributum dicat perfectionem, quam habere melius sit, quam carere illa. Et ita concludunt omnia prædicata, quæ relationem ex tempore ad creaturam dicunt, vt Dominus, Creator, Prouidor, prædestinans, iustificator, &c. Et omnia similia, quæ actum Dei liberum supponunt non esse attributa, quia non est melius Deo esse.